



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

Quod Episcopi & clerici sunt dispensatores, & vsuarij. cap. vi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

Ad tuendam suscipiunt. Et ille. s. Deus ab eis rationem ex-
iget, qui eorum potestati suam ecclesiam tradidit. Itaque
ad Reges spectat defendere ecclesias, vt in c. principes. s.
xxij. q. v. & tenentur de omni manu calumniantiū vi op-
pressos liberare. ita Hieron. super Hieremiam; transum-
ptiue in c. regum. xxij. q. v. Ideo quilibet rex faciat dili-
genter ea, quæ suæ conueniunt dignitati, vt dicam infra
in c. de Rege, & regia dignitate. Et de materia præsentis
capituli vide infra in capitulo nono ad finem: vbi con-
cludo, quod eligere verè dignum postposito digniori, non
est peccatum mortale.

QVOD EPISCOPI, ET CLERICI

sunt dispensatores, & vsuarij. Cap. VI.

S V M M A R I V M.

1. Episcopus est dispensator, & vsuarius, non autem usufructua-
rius.
2. Clericus non nisi victum, & vestitum habere debet ex beneficio.
3. Episcopi, & clerici sunt dispensatores pauperum.
4. Clerici donantes consanguineis ex redditibus ecclesiasticis, vt dis-
tinguunt, peccant mortaliter.
5. Decimæ sunt de iure diuino.
6. Eleemosyna danda suu potius, quàm extraneis. & num. II.
7. Episcopus potest bona patrimonij sui conseruare, & ex redditibus
suis beneficij viuere.
8. Beneficium datur propter seruitium.
9. Quando Prelati possunt rem ecclesie dare in emphyteusim.
10. Decimarum, & oblationum quatuor partes fieri debent.
12. Episcopi pascere subditos debent triplici pabulo.



Episcopus est dispensator, ideo sibi, & suis
primo necessario ministrabit: reliqua, quæ su-
persunt, fidelibus ministrerur. c. nulli Episco-
porum. ij. q. j. Et honeste possunt donare con-
sanguineis egentibus, qui præferuntur alijs.
docto. & Panor. in c. fin. de pecu. cler. Sed audite ad plenū.
Ministri iuxta facultatem ecclesie instituuntur. c. j. ij. dist.
c. cum

c. cum M. de constit. debet ergo titulus ad victum necessarium ministris sufficere: & si illud sibi sufficiat, non querat multiplicationem titularum, quia tunc quereretur victum aliorum ministrorum, & minutionem cultus diuini: & hæc omnia abhorrent iura. Et ꝑ ad confirmationem dico, quod clericus non debet habere ex beneficio nisi victum, & vestitum: Apostoli doctrina est in c. vj. ad Tim. in j. epist. Id etiam dicit Bald. in authent. excipitur, de bon. quæ lib. & Archid. in c. j. xij. q. j. dicit, quod clericus est tantum vsuarius, & non facit fructus suos, nisi pro vlu suo; & dicit, quod moderatè poterit dare, & non testari. Itaque habebimus pro vera conclusione, quod constituti in supremis dignitatibus, aut in minoribus, aut in beneficijs curatis, aut sine cura, sunt vsuarij, & non vsufructuarij: propter quod dicit Aposto. ad Timoth. vt dixi: Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his cõtenti simus. & Archid. in d. c. j. & in c. statutum, in g. assessorem, de rescript. in vj. dicit, quod clericus est vsuarius, non vsufructuarius; & quod bona ecclesiæ debet dispensare in victu, & in ministris, & quod superest, dare pauperibus, aut expendere ad vtilitatem suæ ecclesiæ: & aliud agere iniquum est, quia pauperes non debent fraudari ex facto clericorum. & Innoc. in c. indecorum, de æta. & qualita. dicit, quod bona ecclesiastica non sunt in commercio clericorum, nec de eis possunt dispensare, nisi pro eorum necessitate, & seruientium, & pro pauperibus. & Ioan. Andr. in c. presenti. de offi. ordi. in vj. dicit idem. & etiam Anchar. & Philipp. Fran. vbi omnes concludunt, quod clerici sunt vsuarij, & non vsufructuarij, & quod non habent liberam administrationem fructuum beneficij, nisi pro dispensatione, vt
 3 fidelis, & prudens dispensator: quia ꝑ omne illud, quod tenent clerici, pauperum est: tex. est in c. quoniam. xvj. q. j. & idem tenet Panor in c. cum eßes, de testa. in vj. & vij. col. Et Episcopus generaliter debet providere infirmis; aliter enim videtur eos interficere: text. est in cap. pascere. lxxxvj. dist. & non dicitur Episcopus ille, qui non providet pauperibus. tex. in c. fratrem. lxxxvj. dist. nam Episcopus est dispensator pauperum: tex. est in c. quacunque. x.

q. j. & in c. Episcopus. xij. q. j. & non potest dare suis consanguineis pauperibus. nisi victum, & vestitum. c. quisquis. xij. q. ij. & non debet dare, ita ut fraudet pauperes: quia dicitur in c. si cupis. xvij. quæst. j. quod non debent canes comedere panem filiorum: & tex. ibi pauperes vocat filios. Et si donantes consanguineis, ut eos efficiant diuites, peccant mortaliter. Et in hoc satis animaduertere debent personæ ecclesiasticae, quæ administrant patrimoniū Christi. Nam quicquid habent Episcopi, vel clerici ultra necessarium usum, ut dictum est, violenter tenent: ita dicitur in c. res. xij. q. j. & in c. quod autem. xxij. quæst. vij. inquit sanctus Gregor. Bona etiam nostra sunt pauperum, & procuracionem pauperum administramus; & omnis pecunia, quæ conseruata est, pauperum est: ita habetur in c. sicut. xlvj. distinct. Et sanctus Ambrosius dicit: Quicquid habeo, pauperum est: ut habetur in c. conuenior. xxij. q. viij. Et aduerte, quod decimæ exhibentur Deo in signum vniuersalis dominij, clericis verò mandauit illas solui pro diuino officio. Ex hoc nota, quod decimæ non debentur principaliter pauperibus, sed ipsis clericis: debent tamen quod superfluum est, dare pauperibus, ut hic dicitur. & vide docto. in c. tua. ij. in ordine. de deci. Et si decimæ sunt de iure diuino, ut videbis in cap. lxvij. in isto speculo, ubi explanauimus materiam decimarum. Sed si in elemosyna impendenda tenetur quis potius subuenire suis, quam extraneis, ut in c. non satis. lxxxvj. dist. Ita Panor. in c. cum in officijs, de testa. & in c. inquirendum, de pecu. cleri. Et Episcopus debet esse hospitalis pauperum, ut dicit Apostolus ad Tim. in j. epist. c. iij. sed necesse est, ut se, & suam familiam alimentet, ut dictum est: & notatur etiam in c. clericos, & in c. pastor. j. q. ij. Et si habet bona sui patrimoniij, potest illa conseruare, & expendere in usus honestos; & viuere ex redditibus ecclesiæ suæ. Doctrina est Inno. in c. Episcopus. de præben. Sed non debet thesaurizare, ut dicit Abb. & istud disputauit Senis, ut apparet in quadam disputatione sua incip. Titius clericus. notatur etiam in c. j. xij. q. iij. Nec obstat c. pastor. j. quæst. vij. loquitur enim secundum Inno. quando clericus vult viuere de benefi-

D s cijs,

cijs, & avarè thesaurizare de patrimonio. Secus autem si
vult conservare patrimonium pro suis heredibus. Item
secundum Hostiens. potest intelligi contrarium, quando
non deseruit beneficio, & vult vivere de redditibus benefi-
cij augendo patrimonium proprium, quia tamen beneficium
datur propter servitium. Item notabimus, quod Papa ma-
iorem habet auctoritatem, & magis amplam in admini-
stratione bonorum ecclesiasticorum, quam alij clerici, ut
not. in c. ita dominus. xix. distin. & in c. ad honorem, de
usu pallij. & Abb. in c. constitutus, de rescript. dicit: Papa
habet liberam administrationem rerum ecclesiasticarum.
Sed vide tex. in c. non liceat Papæ. xij. q. ij. & ibi Archid.
Nec tamen prelati possunt dare consanguineis suis rem eccle-
siæ in emphiteosim in perpetuum, sed ad tempus. Bart. in
auth. quibuscunque. C. de sacrosanct. eccles. de quo vide
Cardi. in Clemen. j. f. Abbates. de exce. prelat. sed cognatis
suis possunt dare in feudum, & in emphiteosim rem ec-
clesiæ, modicum tamen; & maxime si sunt pauperes, bo-
næ vitæ, bonè meriti. ita Iaco. de Beluis. in j. constit. seu. &
hoc, quia sine præiudicio ecclesiæ. & Bald. in d. authent.
quibuscunque; dicit, quod prelatus potest rem ecclesiæ con-
cedere consanguineis in emphiteosim; & intelligit de re-
bus consuetis sic alienari, alias secus. & tex. in d. c. Episco-
pus, dicit: Si Episcopus res ecclesiæ consanguineis dede-
rit eas pauperibus subtrahendo, sit obnoxius concilio, &
corrigatur. Et notandum tamen est, quod secundum canones, &
concilia antiqua ex omnibus decimis, & oblationibus fie-
ri debent quatuor partes; una pro Episcopo, alia pro cle-
ricis; alia pro fabrica; alia pro pauperibus. tex. est in c. con-
cesso. & in cap. quatuor. & in c. de redditibus. xij. quest. ij.
& in cap. j. xxv. quest. j. Et ultra hoc Episcopi tenentur e-
rogare superfluum pauperibus; & dico superfluum omne,
quod expenditur supra necessarium usum. Nec obstat,
si dicatur, quod iura illa sint per contrariam consue-
tudinem abrogata; quoniam non consuetudo, sed ab-
usus est: quia non possunt abrogari canones quod ad id,
quod est iuris divini, hoc est, quod Episcopi sint patres
pauperum, & templorum suorum reparatores, quod ad
fabri-

fabricam, & suppellectilem. Itaque mortaliter peccant, si
 ea, quæ eis superfluum de bonis ecclesiasticis, pauperibus,
 & ecclesijs non largiantur, quia quando reditus sunt
 pingues, & abundantes, tanta bona sunt suæ fidei com-
 missa, ut distribuenda, & tunc ut communia bona cen-
 senda videantur. Ita quod Episcopus male dispensans, &
 illi ad quos bona illa perueniunt, tenentur ad restitutio-
 nem: & iniqua esset lex decimarum in nouo testamento,
 si ultra honorabile stipendium ministrorum Dei tanta re-
 rum affluentia vni deputaretur cum damno totius popu-
 li, nisi pater pauperum existimaretur. Et ideo decimæ E-
 piscopis datæ sunt, quia oculata fide prospiciebatur eos
 esse patres pauperum. ita Cardinal. sancti Sixti vbi supra.
 Ideo dixit Ambrosius in cap. est probanda. lxxxvj. distin.
 Est probanda & alia liberalitas, ut proximos seminis tui
 non despicias, si egere cognoscas; melius est enim, ut ipse
 subuenias tuis, quibus pudor est ab alijs sumptum depo-
 scere, aut alicuius postulare subsidium necessitatis: non
 tamen, ut illi ditiores fieri velint ex eo, quod tu potes con-
 ferre inopibus, neque enim propterea te Deo dedicasti,
 ut illos diuites non faceres, sed ut tibi vitam perpetuam
 fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis pec-
 cata tua redimas: putant se parum poscere, præmium
 querunt tuum, & accusant, quod eos diuites non fece-
 ris, cum te velint illi parentes æternæ vitæ fraudare mer-
 cede. Consideranda est etiam in largiendo ætas, atque
 debilitas, nonnunquam & verecundia, quia grandis cul-
 pa est, si fidelis egeat, & dabis ei præsertim, qui egere
 erubescit. Videbis de hoc totam distinctionem lxxxvj.
 & præcipue text. in cap. pasce. Itaque aduertant sanctis-
 simi Episcopi, quod si necessitas imminet pauperibus e-
 rogandi, superflua cura est, & inordinata emere possesio-
 nes: quod Dominus prohibet, dicens: Nolite solliciti es-
 se in crastinum. Ita sanct. Thom. in sua quæst. clxxv. arti-
 culo septimo, quod nota pro adificatione Collegiorum.
 Et quæ sit ista necessitas horum determinatio relinquitur
 humanæ prudentiæ. Ideo ad Episcopatum non est assumen-
 dus, nisi ille, qui est ceteris melior, & distributor tenetur ad
 elz

eligendum meliorem ad regimen ecclesiæ, vt dixi supra. ita sanct. Tho. in d. sua q. artic. iij. & qui præcellit scientia, & sanctitate, est cæteris melior. & ait Ambros. exponendo sanctum Lucam: Non est minus crimen denegare pauperibus, quod abundat, quàm tollere possidentibus. & subdit: Panis, quem retines, pauperum est; & nudorum est vestimentum absconditum; & redemptio est miserabilium abdita pecunia. Et quia ob peccatum hodie non est, qui viuat secundum doctrinam Apostoli, necesse est, vt populus Christianus oret, vt sui Episcopi nõ sint ex eis, quibus in die iudicii dicet Christus: Hospes eram, & non recepistis me. Dicit etiam Bernardus: Honorati ambulant ministri Dei ex bonis eius, cui non retribuunt honorem. & alibi: Quodcumque ex altari detines ultra quotidianum vsum, & vestimentum necessarium, non est tuum, sed sacrilegium, & rapina. addit etiam: Præsides, vt provideas, consulas, custodias, procures, & distribuas tempore suo, vt fidelis seruus, & prudens, quem constituit Deus super familiam suam; sed non vt dissipet; & si multum accepisti, multum dabis; & si parum, illud distribue: nam qui in modico fidelis est, supra multa cõstituitur, & in gaudium domini sui intrabit. Et pastores ecclesiæ debent Deũ præ cæteris hominibus diligere, Ioan. vlt. & debent ¶ subditos

12 pascere triplici pabulo. s. veritatis verbo, vitæ exemplo, & temporali subsidio. Ideo maxima maturitate Episcopus eligendus est. Accedit ad hoc tex. singularis in c. Archidiaconum Florentinum. lxxxv. distinct. vbi Gregor. scribit Ioanni Episcopo sic dicens: Florentinum Archidiaconũ ecclesiæ Anconitanæ, qui ad Episcopatum fuerat electus, scripturæ quidem sacræ scientiam habere, sed ita ætatis senio iam confectum accepimus, vt ad regiminis officium non possit assurgere: Adijciunt etiam illum ita tenacẽ existere, vt in domo eius amicus nunquam ad charitatem introeat. Rusticus autem diaconus eiusdem ecclesiæ, qui similiter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur, sed, quantum asseritur, Psalmos ignorat: Florentinum verò diaconum ecclesiæ Rauennatis, qui ab omnibus electus memoratur, sollicitũ esse nouimus, sed, qualis sit interius,

omni-

omnino nescimus. Ideoque fraternitas tua vna cum fratre nostro coepiscopo Armenio suprascriptae ecclesiae Anconitanæ visitatore illuc festinet accedere, & diligenter de vita, & moribus singulorum acquirere, si nullo crimine sint conscij, quid eos ad hoc officium vetet accedere? Pariter etiam requirendum est, si hoc quod de praefato Archidiacono dictum est, quia nunquam amicus eius domum ingressus est, si ita se veritas habeat; & utrum ex necessitate, aut ex tenacitate talis sit; aut si ita est senex, ut ad regendum non possit assurgere; vel si tactis sanctis Euangelij, sicut nobis nunciatum est, insurandum praebuerit, nunquam se ad Episcopatum accedere. Sed etiam de Rustico diacono quanto psalmos minus tenet, scrutandum est. Florentino autem diacono Rauennati si nullum (ut diximus) crimen est, quod obstat, apud Episcopum eius necesse est agere, ut ei debeat cessionem concedere, non tamen ex nostro mandato, vel edicto; ne contra suam voluntatem eam concedere videatur. Et vide sanctum Tho. in Quodlibeto vi. & vide tex. & docto. in d.c. non liceat Papae. xij. q. ij. & Paulus ad Corinthios epist. j. c. ix. dicit: Bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis euacuet. Aduertant sanctissimi Episcopi.

DE SCIENTIA SACRORVM SVMMORVM Romanorum Pontificum, & sanctissimorum Episcoporum, & aliorum sacerdotum.
Cap. VII.

S V M M A R I V M

- 1 Summi Pontifices, & Episcopi, noui & veteris testamenti scientia praediti esse debent.
- 2 Quae, & quot requirantur pro Episcopo ordinando.
- 3 Doctrina quomodo intelligitur.
- 4 Papa, cum sit caput totius Christianitatis, scientia omnes praecellere debet.
- 5 Tenentur Episcopi omni de fide poscenti rationem reddere. & num. 12.